



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. An hoc præceptum omnes in eo periculo obliget.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Parochi, & Curati dicta maioris Ecclesie per impositionem bireti, stole, & annuli: ac etiam dictus Dominus Vicarius acceptis à dicto de Gentili instrumentum, & professionem fidei in forma, &c.

64. Et in actu seu instrumento immixta, seu tradita possessionis, sic habetur: *Dictus de Gentili Canonicus, Parochus, & Curatus electus, & fuit per me impositus, atque immixtus in realem, actualem & corporalem possessionem dicti Canonici, Parochi, & Curati intus dictam maiorem Ecclesiam per apertionem & clausuram Custodia Sanctissimi Sacramenti, osculationem Altaris ejusdem, & fontis Baptismatis: per apertionem, & clausuram arca in qua reperiuntur libri Baptismatis, Sponsaliorum, &c. & per alia signa denotantia ipsam possessionem.*

Lege Barbosam de pot. Pari. 1. p. in fine, cap. 2. form. 9. & 12. qui non aliis, nisi his, vel similibus clausulis, & solemnitatibus, ut certè fieri solet, Parochos instituit, iisque possessionem Parochie tradit, ita ut ambigere nullus rationabiliter jam possit omnibus, & singulis Montis Regalis Parochis iura Parochorum universa competere.

§. V I. Alioqui & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.

85. **P**œna non consentientibus semel in anno, & non communicantibus in Paschate, est, ut arceantur ab Ecclesie ingressu, & ne sepeliantur in loco sacro: quia tamen est pœna, & quidem ferenda; non incurritur ipso facto, sed post sententiam. In iure igitur non est pœna excommunicationis nec lata nec ferenda. Solum audio in aliquibus diocesisbus adesse excommunicationem ferendam: quæ, si est timeatur.

66. Si quis Fidelis moriatur, nec constet an communicaverit, saltem in Paschate, estne sepeliendus in loco sacro? Respondeo, nisi constet non communicasse, iudicandus est observasse præceptum, atque adeo ritè sepeliendum. Adde neminem huic pœnæ inter se ferenda subiaci, nisi post latam sententiam. Cum igitur nunc vix in usu sit, ut contra aliquem similis sententia fulminetur; nunquam ex hoc capite erit Fidelis à sacra Sepultura depellendus.

CAPIT V.

De Præcepto Communionis instante mortis periculo.

§. I. An hoc præceptum omnes in eo periculo obliget?

1. **N**on modo nonnulli, ut S Bonav. Sylvest. Armilla, apud Snam. de Euch. disp. 69. sect. 3. initio, docent communionis præceptum, ut à Christo latum, obligare solum semel in vita: atque adeo, qui in vita semel communicavit non obligari, sub mortali, instante morte, iterum communicare. (Sà V. Euch. num. 1. facit non parum) Verum etiam alij sunt, qui putant nullam absolute esse obligationem sub mortali eo ingruentis periculi tempore communicandi. Sic Caët. Ledesma, Viët. Palud. allat. *ibid.* ab eodem Suarior. Sed tenendum est, adesse obligationem sub mortali: Ita Suarez *ibid.* Vasq. de Euch. disp. 214. c. 2. n. 3. & passim Recentiores. Ratio potissima ducitur ex Fidelium, & Ecclesie sensu, sic iudicantem.

2. Idque verum est siue mors instans sit ex infirmitate siue ex violentia, par enim est ratio. Immo & quoties imminet periculum mortis; ut in prælio, longa, & periculosa navigatione, & similibus, eandem ad se obligationem, docent communiter Doctores *ibid.* Iudex ergo nisi teneat opinionem contrariam cum Fag. 3. *Ecl. præc.* l. 2. c. 4. n. 4. (quam non esse tenendam consulo) obligatur Reo tempus ad Communionem concedi. Excepe, nisi fuga

